Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

rationalis hominis anima.
Atque hoc totum et deus dicatur
propter deum et homo propter
hominem. Quod si difficile
intellegitur mens fide
purgetur magis magisque
abstinendo a peccatis et
bene operando cum gemitu
desideriorum sanctorum ut per
divinum adiutorium profici-
endo et intellegat et amet.
Si autem queritur post incar-
nationem verbi quomodo
facta sit vel vox patris vel
species corporalis qua sanctus
spiritus demonstratus est per crea-
turam quidem facta esse ista non
dubito. sed utrum tantum-
modo ad ministerium per-
agende significationis.
sicut oportuisse deus iudi-
cavit. An aliquid aliud
intellegendum sit. invenire
difficile est et temere affir-
mare non expedit. quomodo
tamen ista sine rationali
vel intellectuali creatura
potuerint fieri non video.
neque adhuc locus est expli-
care. Cur ita senserim quantum
vires dominus dederit. prius
enim sunt discutienda et re-
fellenda hereticorum argu[menta]

que non ex divinis libris sed
ex rationibus suis proferunt quibus
se vehementer cogere arbi-
trantur testimonia scriptu-
rarum. que de patre et filio
et spiritu sancto ita esse intellegenda
ut ipsi volunt. Nunc autem
non ideo minorem filium.
quia missus est a patre. nec ideo
minorem spiritum sanctum quia pater
eum misit et filius. sufficienter
quantum arbitror demonstra-
tum est. Sive enim propter visibilem
creaturam. sive potius propter
principii commendationem.
non propter equalitatem vel
imparilitatem vel dissimili-
tudinem substantie in scrip-
turis hec posita intelle-
guntur. Quia enim si volu-
isset deus pater per subiectam
creaturam visibiliter ap-
parere. absurdissime tamen
aut a filio quem genuit aut
de spiritu sancto qui de illo procedit
missus diceretur. Iste igitur
sit huius voluminis modus
deinceps in ceteris adiu-
vante domino. illa hereticorum
versutissima argumenta
qualia sint et quemadmodum
redarguantur videbimus.
EXPLIC LIBER QVARTVS.